

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Compendiosa regum Daniæ historia

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 27. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585280960/facsimile.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

*Regum Daniæ Historia* 27

affectibus magis quam legibus aut æquitati seruiens. Vnius tantum legis editione maximos meruit vulgi fauores, quia concessit reo in purgationem intentati criminis, vt sese iureiurando tueretur, quæ lex hoc nomine erat vulgo gratissima, quod minus periculi formidaret ex periurio quam ex ferro. Erat autem Haraldus iste sacrorum officijs deditus, sed superstitiose magis quam pie, cumque regnasset duobus annis defungitur.

10 4 CHANVTVS.

80. Rex Chanutus sanctus secundus Suenonis filius. Iste Chanutus erat non solum egregius pietatis et religionis cultor verumetiam magnus iustitiæ amator. Videns autem regni incolas adhuc dubitare in multis ad Christianam pietatem religionemque spectantibus, nec esse ceteris per orbem Christi fidelibus legibus et ceremonijs pares et conformes, cum essent ob contemptum regiæ iussionis, qua præcepti erant expeditionem facere in Anglos rebellantes, grandi pecunia mulctandi, remissa pecuniaria mulcta, religiosa pietate vrgebat, vt ritu aliarum nationum Christianam religionem profitentium decimas suis sacerdotibus soluerent. Qui perfidia Olai fratris et proditione cuiusdam Blacconis diuersum persuasi, præcipue Iuti aquilonares frequenter perfidi, insurrexerunt aduersum iustum et sanctum regem, fugientem in Fioniam persequentes, vbi in vrbe Othonia sanctum Dei martirem crudeliter occiderunt in Basilica quæ nunc diuo Albano sacra est, anno regni sui decimo, cuius crudelem interfectionem fuisse

28 *Regum Daniæ Historia*

verum martirium, diuina pietas multa miraculorum frequentia declarauit, periijt anno 1088.

3 OLAVVS Hunger.

81. Rex Olauus tertius Suenonis filius. Hic ab exilio Flandrensi reuocatus, remisso Nicolao fratre, quem vadem pro Olauo redemptione dederunt, omnium suffragijs rex creatur. Huius temporibus in ultionem immanissimi parricidij tanta fuit annonæ caritas, vt multi fame morerentur. Quæ non tantum obscurorum familias vexabat, sed etiam vsque ad regis penates peruenerat, quos cum videret rex periclitari mensarum inopia, diuinum natalem celebraturus, rogauit Deum vt si quid iræ aduersus populum concepisset, suo, non eius periculo satiaret. Nec difficiles numinis aures habuit. Nam eadem nocte esurientem ac parricidij poenitentem animam efflauit, anno septimo regni sui, domini 1095.

3 ERICVS Eïgotæ.

82. Rex Ericus cognomento et re ipsa bonus. Fuere huic Erico filij Haraldus, Chanutus et Ericus, sed primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur. Erat autem Ericus iste simul fortis et mansuetus tenuitque medium temperamentum inter desidiam et ferociam, quamobrem maioribus formidulosus, minoribus vero percharus fuit, cum hos paterna indulgentia, illos regia seueritate insequeretur. Filias quoque complures ex concubinato habuit. Huius temporibus factus est Ascerus